

† **R. P. Renatus Kremer (1887-1934)**

(*Prov. Belgicae*)

In ephemeride Civitatis Vaticanae *L'Osservatore Romano* d. 28 Nov. 1934 haec legebantur: « *Luctus in campo philosophiae catholicae.* — Lovanii,



26 Nov. — In hac urbe hodie post brevem infirmitatem ¹ mortuus est R. P. Renatus Kremer C. SS. R., annos natus 47. Defunctus hic S. Alfonsi filius, Magister Cooptatus (*maître agrégé*) Lovaniensis Instituti Superioris philosophiae, ab Eñno Cardinali Mercier conditi, in libris suis bene notis *Le Néo-réalisme Américain* (1920), et *La théorie de la connaissance chez les Néo-réalistes Anglais* (1928) ² illos hodiernae cogitationis meatus (*correnti*) neo-realisticos exponebat, quos philosophia neo-scholastica tanti facit. Assiduam quoque operam conferebat foliis *Revue Néoscholastique de Philosophie*, a Lovaniensi Societate Philosophica evulgatis, pertractans per multos annos omnia scripta nova humanae cognitionis problema respicientia ³. Etiam alias commentationes in hoc aliisque periodicis doctis publici iuris

fecit ⁴. Erat figura bene nota in congressibus philosophicis, praesertim philosophiae thomisticae, uti demonstrant eius relationes Pragae (1932), in Juvisy (1932), Salisburgi (1933), Posnaniae (1934) habitae. Speramus manuale criticae, quod parabat, postea prelo subiici posse; nam in hac provincia boni libri rari sunt ».

Itaque Alfonsianum Institutum in Patre Kremer virum doctissimum amisit, quem quidam professor Universitatis Bonnensis Dr. A. Rademacher quondam belle « magnum magni Cardinalis Mercier discipulum »

¹ Id relative sumendum, quandoquidem mense Septembri aegrotare coeperat.

² *Analecta* VII (1928), 246.

³ *Bulletin d'épistémologie*. Ultima eius relatio in fasciculo Augusti 1934, p. 276-286 reperitur.

⁴ Etiam vitam S. Clementis M. Hofbauer, a R. P. Ioanne Hofer exaratam, in Gallicum convertit: *Analecta* XII (1933), 187.

appellavit. Sed amissimus quoque confratrem optimum, genuinum S. P. Alfonsi filium, non solum mentis, sed etiam cordis dotibus egregiis instructum.

Utrasque dotes periodicum nostrum *La Voix du Rédempteur*, XLIII (1934), 376 ita breviter complectitur ¹: « R. P. Renatus Kremer, ut erat praeditus intelligentia singulari, videlicet rapida, vasta, clara, universali, profunda; possidens loquendi facilitatem, cuius ope, quae cogitabat, accurate et commode quatuor linguis nostrae aetatis exprimebat; eruditioni suae explanationibusque curam attentam tribuens et formam correctam ac certitudinem bene verificatam: propterea magisterio superiori valde idoneus apparebat. Primum Pulehriingi (*Beauplateau*), deinceps Lovanii confratres suos iuniores philosophiam docuit, cuius non modo lauream acquisierat, sed etiam, omnium primus, titulum singularem Magistri Coopati (*maître agrégé*) Scholae S. Thomae Universitatis Lovaniensis.

« Hic homo doctus erat simul religiosus fervoris plenus, qui etiam in pietate et obedientia sua illam curam diligentiamque sui plane propriam manifestabat. Laetabatur et gloriabatur, quoties suae Congregationi servire poterat. Erat vir rectus ac simplex in suis ad Deum relationibus, conscientiae admodum delicatae, immo quandoque meticulosae.

« Haec timiditas, quae necessario eum aliquantum impediabat, virum adeo doctum vel magis amabilem reddebat. Amicus erat securus, devotus, fidelitate dulci et rara. Benignus erat, affabilis, aliis animum iniiciens, valde simplex.

« Quodam animi terrore correpti sequebamur vicissitudines illius morbi septicemiae (certae sanguinis infectionis), cui curandae medici tam devoti impares fuere. Verum istae dolorum lentaeque agoniae hebdomades hanc animam invenerunt voluntati divinae conformem, absque dolore e vita discedentem et in fide atque amore attendentem suam cum Veritate aeterna obviam itionem ».

Laudes sane argumentosae desideratissimo confratri a confratre tributae. Restat, ut praecipua huius vitae — eheu, nimis brevis — fata recensamus. Renatus Kremer natus est Leodii (*Liège*) d. 28 Augusti 1887, festo S. Augustini, e parentibus Luxemburgensibus. In athenaeo urbis patriae, ubi eius parens professor erat, praeclaro cum successu studia sua absolvit et a. 1904 in novitiatum nostrum ingressus est. Festo S. Michaelis, d. 29 Sept. 1905, vota perpetua nuncupavit eodemque die post quinquennium sacerdotio auctus est. Tempore belli, cum Lovanii studia intermitterentur, in Universitate Oxoniensi (*Oxford*) altioribus studiis vacavit. Philosophia christiana eius animum fere continuo occupabat usque ad ultimae infirmatis deliria. Tandem d. 26 Nov. 1934 Lovanii in novo noso-

¹ Videsis etiam *St-Gerardusbode* (1935) 16 sq.

comio *Kapucijnenvoer* de misera hac vita, ut firme speramus, transiit ad meliorem vitam, ubi anima fidelis Dei summi consortio perfruitur aeterno.

Eodem die Romae R. P. I. M. Bocheński O. P. suum « Compendium lectionum logicae », fasc. I, absolvit his verbis: « Hoc fasciculum (*sic*) perfectum est 26. XI. 1934, die obitus P. R. Kremer C. SS. R. piae memoriae, thomistae egregii, in logica optime versati. Cuius anima requiescat in pace. »